

www.e-rara.ch

**Liber Ruth per Ludovicum Lavaterum Tigurinum, homiliis XXVIII
expositus. ...**

Lavater, Ludwig

Tiguri, anno 1578

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 5.321

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-4184>

Homilia III.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Habent etiam mulieres exemplū quod imitentur in Noemi, quę sequuta est maritū suum in exilium: Sara quoq; Abraamum peregrinātem, propter aduersam fortunam nō deseruit, quanquam ipsius causa ac culpa, non semel in magnum periculum inciderit. Alię quoque pię matronę, cum maritis suis exilia & alias ærumnas patienter pertulerunt. Caterū si viri contemptores sint verę religionis, & migrent in loca, in quibus pię mulieres, salua conscientia versari non possunt, non debent se manifesto periculo obijcere. Quid mulieres illas, quę si mariti ex vna platea in aliam, graues ob causas migrare velint, se difficiles præbent, quid inquam eas, si longinqua itinera maximis laboribus & periculis eorum causa suscipere deberent, facturās esse putas? Molestum quidem est inter ignotos versari, sed cogit nos aliquando durum telum necessitas.

Vxores sequantur maritos suos.

HOMILIA III.

3 Mortuus est autem Elimelech, maritus Naomi, & remansit ipsa & duo filij eius.

4 Acceperunt autem sibi vxores Moabitidas, nomen vnius Orpah, & nomen alterius Ruth: manseruntq; ibi

quasi decem annis.

5 Mortui sunt etiā ambo ipsi, Mahlon & Chilion: & remansit mulier illa (orbata) duobus filiis ac marito suo.

SI quis cum fructu versari velit in lectione sacrarum literarū, primū sensum & scopum cuiusq; loci obseruare debet, deinde singula ad fidei cōfirmationem & morum emendationem, tanquam ad scopum referre. Quod pauca hæc verba attinet, scriptor noster dicit, Elimelechum ex hac vita migrasse, relictā Nae mi cum filiis duobus, qui vxores Moabitidas duxerint: Mahlō, vt infra 4. cap. annotatur, Rutham: Chilion, Arpam: māsisseq; annis decem in exilio, postea vtrunq; obiisse: Noemi verò marito suo & filiis superstitem fuisse.

An Rutha
regis filia
fuerit.

Hanc Rutham Hebræi Eglon regis Moabitaram, quem Ehud (qui & Aioth dicitur) Iudic. 3. confodit, filiam fuisse tradunt, quos alii qui interpretes ex Christianis sequuntur: at non est probabile regem illum, Hebræo, pauperi & exuli filiam suam in vxorem dedisse: aut permisisse, vt in paupertate viueret: neq; videtur ratio temporum congruere. Solent autem Iudæi magnificē de suis hominibus loqui, & nescio quam nobilitatem affectare, more illorum qui cum Codro pauperiores & obscuri sint, ta
men

men inter peregrinos magnas opes, & familiæ
interdum splendorem mentiuntur,

Moueri hoc loco potest quæstio, an hi duo, *In genere*
cùm fuerint Israhelitæ, ex Bethlahem oriundi, *cauetur ne*
rectè fecerint ducendo Moabitidas fœminas: *affinitates*
Cautum fuit diuinis legibus, ne tales nuptiæ *cum impijs*
contraherentur. Numeri 25. cap. Ammonita- *iungantur.*
rum mulieres, Israhelitas ad scortationem & ido-

latriam pellexerunt, hinc factum est, vt cum
Ammonitis & Moabitis quoq; fœdera & con-
iugia contrahere non deberent, Exodi 23. Ita
cum alijs infidelibus, propter idem periculum
contrahere matrimonium non licuit Iudæis.

Exodi 34. Et ne fortè accipias de filiabus eius
filijs tuis, & fornicentur filiz eius post Deos
ipsarum, & fornicari faciant filios tuos post
Deos earum. Idololatria (vt hoc obiter anno-

tem) in sacris literis passim per scortationem
adumbratur. Deus enim non solum totam ec-
clesiam, sed & singula eius membra, sibi, vt ita
dicam, desponsauit instar sponsæ. Proinde ab
eo solo dependere debent: si verò alios sectan-
tur & ab eo deficiunt, adulterium cõmittunt.

Optimè verò hæc metaphora ingenium ido-
lolarum exprimit: adulterę enim & adulte-
ri dies noctesque de suis fœdis amoribus co-
gitant: neglecta cura rei domesticæ, opes suas
in mœchas & mœchos profundunt: Vitia mœ-

*Idololatria
scortationi
cõparatur.*

charum & mœchorum excusant: non possunt
ab eorum vel earum amore abduci, monito-
res ferre nequeunt. Deut. 7. Non iunges te
affinitate cū eis (septem gentibus proscriptis)
filiam tuam ne dederis filio eius, & filiam eius
ne accipias filio tuo. Auocabit enim filium
tuum post me, & colent Deos alienos. Propte-
rea irascetur furor Iehouæ in vos, & disperdet
vos citò. Idem repetit Iosueus cap. 23. in comi-
tijs illis celebribus, quæ paulò ante obitum
suum habuit: item Iudicum 3. cap. & 1. Regum
11. cap. Quòd autem hæ leges non tantum de
septem illis gentibus proscriptis intelligendæ
sint: sed de alijs quoque, ex causa generali in-
telligitur, quæ Legi annexa est: fore enim di-
cit, vt à cultu veri Dei auocentur: quod certè
periculum incurrunt quotquot cum idolola-
tris matrimonia iungunt. Esdras lib. 1. cap. 9.
& 10. item Nehemias cap. 13. irascuntur etiam
illis, eosq; legem diuinam violasse dicunt, qui
Moabiticas & Ammoniticas duxerant. Idem
legitur Sophoniæ 2. cap. Neque desunt exem-
pla, quæ ostendunt quàm infelicia sint hæc im-
paria coniugia. Solomon contra legem regiam
Deut. 17. plures & alienigenas duxerat, inter
quas Ammonitidas & Moabitidas scripturæ
numerant, 1. Regum 11. cap. quibus concessit,
vt fana suis Dijs extruerent, neque dubitan-
dam est,

dum est, quin multas probabiles ad sui facti de-
fensionem rationes attulerit: sed coniecit & se
& suos in maximas difficultates. Ex vxore
Moabitide sustulit Roboamum, qui pessimus
fuit, & magna causa dilacerationis regni. Iosa-
phat cum impia Achabi familia affinitatem
contraxit: Ioram enim Athaliam Achabi fili-
am vxorem dedit: quod prudenti consilio pro-
cul dubio fecisse sibi & alijs visus est, qui hac
via regnum scissum posse in integrum restitui
sibi persuaserant: sed parum absuit, quin pro-
pter hoc coniugium, tota familia Iosaphati fun-
ditus deleteretur. 2. Par. 21. cap. dicitur Ioramum
filium Iosaphati non aliter vixisse quam Acha-
bum, causa adijcitur, filiam enim Achabi fuisse
eius vxorem: Impie mulieres non modo ma-
ritos incitant ad idololatriam, sed pueris quo-
que vna cum lacte eam instillant. Hæc verò
non ita accipienda sunt, quòd Israelitis nullo
modo licuerit alienigenas ducere, licet ad veram
fidem fuissent conuersæ. Deut. enim 21. cap.
lex extat, quòd captiua certis conditionibus
ab Hebræo duci possit. Salma qui & Salmon,
princeps tribus Iuda, Rahabam Cananæam
duxit, Boas hanc Rutham, quæ catalogo gene-
ris Christi insertæ sunt, Matth. 1. cap. David
Maacham regis Gesur filiam vxorem habuit.
Neq; putandum est, illa coniugia legitima nō
fuisse.

Inspecie an
illi pecca-
runt ducen-
do uxores.

Vtque propius ad rem accedamus, an illi duo fratres rectè fecerint nec ne, ducendo vxores Moabitidas, nihil certi potest statui. Qui malè eos fecisse volunt, vrgent hoc, quod scriptura dicit, Acceperunt sibi vxores Moabitidas, dicentes matrem ipsorum illis non dedisse illas vxores: at dici eadem facilitate potest, quòd consentiente matre eas sibi accipere potuerint. Deinde eos non procreasse ex illis filios, quòd probri loco habitum fuit apud Israelitas: Et dominum coniugij iura violantibus, orbitatem minari, Malach. 2. Cap. item immatura eos morte decessisse, id quòd etiam inter peccatorum pœnas numeretur. Sed hæc argumenta sunt infirma. Ego illis potius accederem, qui dicunt eos peccasse in eo, quòd acceperunt Moabiticas vxores, nondum ad fidem & cultum vnius Dei conuersas. Arpam enim diuturno illo conuictu cum fidelibus, ad veram fidem verè flecti non potuisse inde colligo, quòd ad patrios Deos reuertit. Ruth quoque nondum veram religionem amplexâ fuisse, Lyranus vltimo huius libelli capite, ex eo colligit, quòd Naemi illi suaserit, vt etiam rediret: quòd non factura fuisset, si ante conuersa fuisset, quia non suaserit ei apostatâre à fide & cultu vnius veri Dei: sed de hoc aliàs. Deus autem noluit vt cum Ammonitis & Moabitis matri-

matrimonia contraherent, non solū quòd idolatræ essent, sed etiam alias ob causas, Exodi 23. Cap. Vtranque verò ex his, coniugalem fidem suis maritis præstitisse, Naomi postea fatetur. Debuissent illi duo filij in patriam suam redire, & ibi vxores ducere: non enim ignorabant lege interdicta Israelitis esse connubia cū exteris populis, & hanc legem plus semel repetitam esse. Maius tamen periculū erat, si Israeliticæ virgines nuberent Moabitis, & alijs exteris. In nouo quoque testamento coniugia cū idololatræ improbatur. 2. Cor. 6. Paulus dicit, iugum non trahendum cum incredulis, quod in primis ad matrimonium pertinet. Coniugium enim apud Latinos à iugo dicitur, quòd coniuges quasi sub vnum iugum deuincti sint. Etsi verò hæc verba Pauli intelligas in genere, quòd consuetudinem cum incredulis habere non debeamus: tamen inde inferri potest, multò minus matrimonium cum ipsis contrahendum. 1. Cor. 7. cū Apostolus dicit, ne fidelis infidelem coniugem deferat, de contracto matrimonio, non de contrahendo loquitur. Cauendum igitur ne propter opes, potentiam, aut alia temporaria commoda, nos impijs iungamus. Ratio saltem habenda erat liberorum, qui ex impari matrimonio plerumq; malè nascuntur. Gen. 6. cap. orti ex sanctis patribus, duxe-

runt vxores ex Caino prognatas propter formam, ex quibus Nephelim nati sunt, hoc est, defectores, contemptores religionis. Matres superstitiosæ pueros corrumpunt falsis opinionibus quas mordicus retinent: id autem facile possunt facere, cum quotidie cum ipsis versentur, nullumq; laborem recusent, vt hæc faciât. Iudicum 3. aliud extat exemplum de Israelitis qui idololatrias duxerunt. Possunt multa exempla recentia proferri illorum, qui hac via, & se & suos liberos in maxima opum, existimationis, & animæ pericula cōiecerunt. Parentes igitur horum periculorum memores, cauti sint, filijs suis non dent impias vxores, & multo minus filiabus impios maritos, in quo maius est periculum. Liberi non sibi tales coniuges deligant inuitis parentibus. Etsi multi dicant se vxores suas flectere posse ad veros cultus, tamen sciant se non esse Salomone prudentiores: qui idem se efficere posse proculdubio sperabat, sed ipse muliebribus blanditijs fractus à Deo defecit, &c.

Omnibus
est mori-
endum.

Ex eo quod Elimelech obiisse dicitur, & vtrunq; eius filium, venire nobis in mentem debet, omnibus hominibus esse moriendum. Heb. 9. Hæc via dicitur vniuersæ carnis in scripturis: in qua non licet pro voto morari. Quot quot ante nos fuerunt, omnes mortui sunt. In

libro

libro Geneseos 6. cap. enumerantur patriarchæ illi annosi, qui ante diluuium floruerunt, & de singulis dicitur, quòd mortui sint. Alia pericula aliquo modo depelli possunt, sed mortis periculum vitari non potest. Illum quem ordo postulat, mori oportet, velit nolit: quòd si alius loco eius mori vellet, id non concederetur. Citius autem plerique decedunt quàm ipsi putant. Non solum senio confecti, sed & iuvenes aliquando subito moriuntur. Quis putasset Noemi diutius victuram filiis suis: nescimus quando, vbi, quomodo, nobis sit moriendum.

Hæc nos erigere debent imminente hora fatali: quis enim non libenter se tot comitibus itineris cõiungat? quis postulare ausit, vt Deus ipsum solum superstitem esse sinat? Si tui moriantur, etiã cogites quòd te præcedant, quòd que tu mox sequuturus sis. Extant quidem firmiores cõsolationes in scripturis, sed & hæc nō contemnendæ sunt. Si varijs grauibûsque ærumnis afficiaris, etiam cogitabis tibi moriendum esse, & fortassis breui: ne igitur manû tibi ipsi inferas, sed patienter mortem expectes. Deinde cùm audiamus mortem nobis expectandam, instruamus nos rebus necessarijs, vt solēt iter facturi, caueamus nobis à sceleribus, studeamus pietati, vitæ innocentie. Reprehensio-

nem merentur illi, quibus omnis mortis mentio molesta est. Quis enim speret illum in bello bonam operam nauaturum, qui in pace adstrictum mucronem expauescit: periculū certē contemnendo nequaquam vincitur.

In multipli-
cibus aerū-
nis bene
est speran-
dum.

1. Vidua.

2. Orba.

3. Pauper-
cula.

4. Anua.

5. Exul.

Quia verò ipsa Noemi multis malis circumuenta, non despondet animum: nos quoque à Deo in grauissimas calamitates & miserias cōiecti, non desperemus, aut ipsum accusemus. Mulier vel hoc solo nomine quòd vidua est, misera est. Maritus enim in scripturis appellatur vxoris suæ caput: corpus sine capite, nō homo sed truncus potius est. Viduæ à suis quoque interdum contemnuntur: Hoc malum vtcunque mitigatur, si maritus post se liberos relinquat, qui matri viduæ sint solatio & auxilio: sed Elimelech mariti mortē, etiam mors filiorum sequuta est, vt Naemi ab humano auxilio & præsidio prorsus destituta videatur. His accedit paupertas, opes enim quas possederant, propter migrationes & alias causas nobis incognitas, paulatim imminutæ videntur. Quid verò cōtemptius vidua pauper? Adde his quòd grandis iam erat, tales verò se commodè alere non possunt, morosæ sunt, multisq; morbis obnoxia. Senectus per se morbus est. Anus vulgò indignæ putantur, quæ lucem aspiciant, & multis conuitijs lacerantur. Huic cumulo malorum

lorum accessit exilium inter Moabitas, gentem Israelitis infestam, ferocem, superbam, superstitiosam. Si orbata fuisset marito & liberis in patria, habuisset cognatos suos & affines, qui eam consolati essent. Si inter sue gentis homines exulasset, fuisset id molestum, quanto magis inter illos? Quod si, ut quidam putant, contra verbum diuinum in terram Moabitem se contulerunt, sensit etiam conscientie morsus & stimulos, in mentem illi venit, se propria culpa in hæc mala incidisse. Propter concursum horum malorum, Noemi fidem non abiecit, non enim ignorauit, hanc esse sortem sanctorum in hoc mundo, ut multis & magnis afflictionibus exerceantur.

6. Sibi male conscia.

Cogitandum est in magnis ærumnis, eas non casu nobis immitti, sed à Deo clemētissimo patre ad nostrā vtilitatē, illum item mala mitigare, & prorsus auferre posse, si sit è re nostra: cogitandum quid nostris peccatis meriti simus: consueuisse etiam Deum, suos sæpe coniungere in extrema mala, ut eos postea maiore lætitia afficiat. Adhuc alios quoque sua habere onera. Ne dicamus, neminē vnquam tot malis iactatum fuisse, quando nondum, ut Paulus dicit, ad sanguinem restitimus. Magnis malis Deus nos domat, ut ad vitam æternam aspiremus, in qua omnibus tandem malis liberabimur.

Causæ stricte.

Aliæ quoq; sunt fines erumnarum quas Deus suis immittit. Satan rebus aduersis nobis persuadere conatur, Deum nos odio habere, ideo quæ necesse esse, vt nos ipsi rebus nostris consulamus: sed patienter expectandum est à Deo auxilium, qui hanc quoque Naemi clementer magnis malis suo tandem tempore liberauit.

H O M I L I A I I I I.

6 Surrexit igitur ipsa & nurus suæ, & reuersa est ex regione Moab: audierat enim in regione Moab quòd visitasset Iehoua populum suum, dando eis panem.

7 Egressa est itaq; è loco in quo erat, & ducè nurus eius cum ipsa, et comiserunt sese itineri, vt reuerterentur ad terram Iehuda.

8 Dixit autem Naomi ambabus nuribus suis, Ite, redite quæq; in domum matris suæ: faciat Iehoua vobiscum misericordiam, quemadmodum fecistis cum mortuis & mecum:

9 Det Iehoua vobis (scilicet meritum) vt inueniatis requiem. Vnaquæque in domo (futuri) viri sui. Et osculata est eas: & illa sublata voce sua fleuerunt.

Iam